



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum ex Caluino Epist. 51.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

domus aliqua extra ordinem illa mysteria celebret. Deinde nisi apud omnes egrotos id fiat, quomodo vitabitur προσωποληΐας suspicio? Quod si apud omnes egrotos celebranda est cœna Domini, viderini pastores, quomodo possit eius profanatio vitari, & ipsi tantis laboribus sufficere. Nihil igitur me mouet quorundam consuetudo, quantumuis vetus; quia, rationibus, non exemplis iudicandum est. Denique illud certum est, ex hoc more, tria pessima in Ecclesiam esse inuecta; nempe, initio quidem signi utriusq;: deinde, vino acescente, tantum alterius signi asseruationem, qui error disertè contra Sacramentorum naturam facit. Hinc igitur alius error exortus, quasi magica quadam pronuntiatione alligata sit signores significata, &c.

### *Antipharmacum ex Caluino Epist. 51.*

DE cœna administratione ita sentio, libenter admittendum esse hunc morem, ut apud egrotos celebretur communio, cum ita res & opportunitas feret. Nec magnoperè etiam repugnandum esse, quin maleficis detur, qui plectendi sunt; si quidem postulent, & ad receptionem satis comparatos esse appareat: hac tamen lege, ut sit vera communio: hoc est, ut panis in cœtu aliquo fidelium frangatur.

Idem Caluinus Epist. 361. Cur cœnam egrotis negandam esse non arbiter, multa & graues cause me impellunt. Video interea quàm procliuis in multos abusus sit lapsus, quibus prudenter seduloque occurrendum esset. Nisi enim sit communicatio, perperam deflectitur à sacra institutione Christi. Conueniat ergo aliquis cœtus oportet ex cognatis, familiaribus & vicinis, ut fiat distributio ex mandato Christi; deinde coniuncta sit actio cum mysterij explicatione: nec quicquam à communi Ecclesie ratione diuersum.

Idem Caluinus Epist. 363, Ex natura, sine & usu mysterij

probe mihi colligere videor, non esse tanto bono priuandos qui vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitantur. Ad fidei confirmationem valet tesseram accipere, quasi ex Christi manu, qua certiores fiamus, nos in eius corpore censer, carne eius & sanguine pasci in spem aeterna vita. Itaque Cæna perceptio nos ad obeundas spirituales pugnas instruit. Iam si pius quispiam è mundo migrandum sibi videat; quia fieri non potest, quin oppugnetur ac vexetur multis tentationibus, merito se armari cupiet ad sustinendos conflictus. An eripiendum est singulare adiumentum, quo fretus ad luctam alacrius descendat, & victoriam obtineat? Tum prohiberi, quo minus liceat profiteri, & testatum facere pietatis consensum cum Ecclesia, durum est, ac mali exempli, siue quis in lecto diu iaceat, siue morti sit vicinus. Atqui Cæna sancta inter filios Dei unitatis est Symbolum. Quamuis breuiter rem attigerim, agnoscis tamen quibus rationibus adductus, agrotos, non esse arbitrer à communicatione arcendos. Neque tamen ea de causa velim turbas mouere, scis in hac Ecclesia alium esse morem. Acquiesco, quia utile non esset contendere, &c.

Contendisses, ô Caluine, si cum Geneuensibus contendere securū existimasses: sed quia videbas litē abs te excitandam non carere periculo, ideo ab omni contentione abstinuisti. Postea admiscet Calvinus nonnulla de suo fermento, vt scilicet celebretur cæna apud ægrotos, sed non nisi collecto simul cœnantium cœtu. Quod tamen vt vidimus, Bezano stomacho non arridet.

*Aliud Antipharmacum contra venena  
Bezæ ex Hunnio.*

HUNNIUS Tract. de cæna cap. 14. ex instituto refellit argumenta Bezæ contra cœnam ægrotis dandam, & ad primū illud de personarum acceptione & cœnæ profana-